

LIBER PRIMUS

E1_1 v.1 Semiferos partus metuendaque pignora matri
 2 moenibus et mediis auditum nocte luporum
 3 murmur et attonito pecudes pastore locutas
 4 et lapidum diras hiemes nimboque minacem
 5 sanguineo rubuisse Jovem puteosque cruore
 6 mutatos visasque polo concurrere lunas
 7 et geminos soles mirari desinat orbis :
 8 omnia cesserunt eunucho consule monstra.
 9 Heu terrae caelique pudor ! Trabeata per urbes
 10 ostentatur anus titulumque effeminat anni.
 11 Pandite pontifices Cumanae carmina vatis,
 12 fulmineos sollers Etruria consulat ignes
 13 inmersumque nefas fibris exploret haruspex,
 14 quae nova portendant superi. Nilusne meatu
 15 devius et nostri temptat jam transfuga mundi
 16 se Rubro miscere mari ? Ruptone Niphate
 17 rursus barbaricis Oriens vastabitur armis ?
 18 An morbi ventura lues ? An nulla colono
 19 responsura seges ? Quae tantas expiet iras
 20 victima ? Quo diras jugulo placabimus aras ?
 21 Consule lustrandi fasces ipsoque litandum
 22 prodigio ; quodcumque parant hoc omine fata,
 23 Eutropius cervice luat sic omnia nobis.
 24 Hoc regni, Fortuna, tenes ? Quaenam ista jocandi
 25 saevitia ? Humanis quantum bacchabere rebus ?
 26 Si tibi servili placuit foedare curules
 27 crimine, procedat laxata compede consul,
 28 rupta Quirinales sumant ergastula cinctus ;
 29 da saltem quemcumque virum. Discrimina quaedam
 30 sunt famulis splendorque suus, maculamque minorem
 31 condicionis habet, domino qui vixerit uno.
 32 Si pelagi fluctus, Libyae si discis harenas,
 33 Eutropii numerabis eros. Quot jura, quot ille
 34 mutavit tabulas vel quanta vocabula vertit !
 35 Nudatus quotiens, medicum dum consulit emptor,
 36 ne qua per occultum lateat jactura dolorem !
 37 Omnes paenituit pretii venumque redibat,
 38 dum vendi potuit. Postquam deforme cadaver
 39 mansit et in rugas totus defluxit aniles,
 40 jam specie doni certatim limine pellunt
 41 et foedum ignaris properant obtrudere munus.
 42 Tot translata jugis summisit colla, vetustum
 43 servitium semperque novum, nec destitit umquam.
 44 Saepe tamen coepit. Cunabula prima cruentis
 45 debita suppliciis ; rapitur castrandus ab ipso
 46 ubere ; suscipiunt matris post viscera poenae.
 47 Advolat Armenius certo mucrone recisos

48 edoctus mollire mares damnoque nefandum
 49 aucturus pretium ; fecundum corporis imbrem
 50 sedibus exhaurit geminis unoque sub ictu
 51 eripit officium patris nomenque mariti.
 52 Ambiguus vitae jacuit, penitusque supremum
 53 in cerebrum secti traxerunt frigora nervi.
 54 Laudemusne manum, quae vires abstulit hosti,
 55 an potius fato causam tribuisse queramur ?
 56 Profuerat mansisse virum ; felicior extat
 57 opprobrio ; serviret adhuc, si fortior esset.
 58 Inde per Assyriae trahitur commercia ripae ;
 59 hinc fora venalis Galata ductore frequentat
 60 permutatque domos varias. Quis nomina possit
 61 tanta sequi ? Miles stabuli Ptolemaeus in illis
 62 notior : hic longo lassatus paelicis usu
 63 donat Arinthaëo ; neque enim jam dignus haberi
 64 nec maturus emi. Cum fastiditus abiret,
 65 quam gemuit, quanto planxit divortia luctu !
 66 "Haec erat, heu, Ptolemaee, fides ? Hoc profuit aetas
 67 in gremio consumpta tuo lectusque jugalis
 68 et ducti totiens inter praesaepia somni ?
 69 Libertas promissa perit ? Viduumne relinquis
 70 Eutropium tantasque premunt obliviae noctes,
 71 crudelis ? Generis pro sors durissima nostri !
 72 Femina, cum senuit, retinet conubia partu,
 73 uxorisque decus matris reverentia pensat.
 74 Nos Lucina fugit, nec pignore nitimur ullo.
 75 Cum forma dilapsus amor ; defloruit oris
 76 gratia : qua miseri scapulas tutabimur arte ?
 77 Qua placeam ratione senex ? " Sic fatus acutum
 78 adgreditur lenonis opus, nec segnis ad artem
 79 mens erat officiique capax omnesque pudoris
 80 hauserat insidias. Custodia nulla tuendo
 81 fida toro ; nulli poterant excludere vectes :
 82 ille vel aerata Danaen in turre latentem
 83 eliceret. Fletus domini fingebat amantis,
 84 indomitasque mora, pretio lenibat avaras
 85 lascivasque jocos ; non blandior ullus euntis
 86 ancillae tetigisse latus leviterque reductis
 87 vestibibus occulto crimen mandare susurro
 88 nec furtis quaesisse locum nec fraude reperta
 89 cautior elusi fremitus vitare mariti.
 90 Haud aliter juvenum flammis Ephyreia Lais
 91 e gemino ditata mari ; cum certa refudit
 92 canities, jam turba procax noctisque recedit
 93 ambitus et raro pulsatur janua tactu,
 94 seque reformidat speculo damnante senectus ;
 95 stat tamen atque alias succingit lena ministras
 96 dilectumque diu quamvis longaeva lupanar
 97 circuit et retinet mores, quod perdidit aetas.
 98 Hinc honor Eutropio ; cumque omnibus unica virtus
 99 esset in eunuchis thalamos servare pudicos,
 100 solus adulteriis crevit. Nec verbera tergo
 101 cessavere tamen, quotiens decepta libido
 102 irati caluisset eri, frustra que rogantem
 103 jactantemque suos tot jam per lustra labores
 104 dotalem genero nutritoremque puellae
 105 tradidit. Eous rector consulque futurus

106 pectebat dominae crines et saepe lavanti
 107 nudus in argento lympham gestabat alumnae.
 108 Et cum se rapido fessam projecerat aestu,
 109 patricius roseis pavonum ventilat alis.
 110 Jamque aevo laxata cutis, sulcisque genarum
 111 corruerat passa facies rugosior uva :
 112 flava minus presso finduntur vomere rura,
 113 nec vento sic vela tremunt. Miserabile turpes
 114 exedere caput tineae ; deserta patebant
 115 intervalla comae : qualis sitientibus arvis
 116 arida jejunae seges interlucet aristae
 117 vel qualis gelidis pluma labente pruinis
 118 arboris inmoritur trunco brumalis hirundo.
 119 Scilicet ut trabeis injuria cresceret olim,
 120 has in fronte notas, hoc dedecus addidit oris
 121 luxuriae Fortuna suae : cum pallida nudis
 122 ossibus horrorem dominis praeberet imago
 123 decolor et macies occursu laederet omnes,
 124 aut pueris latura metus aut taedia mensis
 125 aut crimen famulis aut procedentibus omen,
 126 et nihil exhausto caperent in stipite lucri :
 127 (sternere quippe toros vel caedere ligna culinae
 128 membra negant ; aurum, vestes, arcana tueri
 129 mens infida vetat ; quis enim committere vellet
 130 lenoni thalamum ?) : tandem ceu funus acerbum
 131 infaustamque suis trusere penatibus umbram.
 132 Contemptu jam liber erat : sic pastor obesum
 133 lacte canem ferroque ligat pascitque revinctum,
 134 dum validus servare gregem vigilique rapaces
 135 latratu terrere lupos ; cum tardior idem
 136 jam scabie laceras dejecit sordidus aures,
 137 solvit et exuto lucratur vincula collo.
 138 Est ubi despectus nimius juvat. Undique pulso
 139 per cunctas licuit fraudes inpune vagari
 140 et fatis aperire viam. Pro quisquis Olympi
 141 summa tenes, tanto libuit mortalia risu
 142 vertere ? Qui servi non est admissus in usum,
 143 suscipitur regnis, et quem privata ministrum
 144 dedignata domus, moderantem sustinet aula.
 145 Ut primum vetulam texere palatia vulpem,
 146 quis non ingemuit ? Quis non inrepere sacris
 147 obsequiis doluit totiens venale cadaver ?
 148 Ipsi quin etiam tali consorte fremebant
 149 regales famuli, quibus est inlustrior ordo
 150 servitii, sociumque diu sprevere superbi.
 151 Cernite, quem Latiis poscant adnectere fastis :
 152 cujus et eunuchos puduit ! Sed vilior ante
 153 obscurae latuit pars ignotissima turbae,
 154 donec abundantanti furiis - qui rebus Eois
 155 exitium primumque sibi produxit - ab imis
 156 evectus thalamis summos invasit honores.
 157 Quam bene dispositum terris, ut dignus iniqui
 158 fructus consilii primis auctoribus instet.
 159 Sic multos fluvio vates arente per annos
 160 hospite qui caeso monuit placare Tonantem,
 161 inventas primus Busiridis imbuit aras
 162 et cecidit saevi, quod dixerat, hostia sacri ;
 163 sic opifex tauri tormentorumque repertor,

164 qui funesta novo fabricaverat aera dolori,
165 primus inexpertum Siculo cogente tyranno
166 sensit opus docuitque suum mugire juvencom.
167 Nullius Eutropius, quam qui se protulit, ante
168 direptas possedit opes nullumque priorem
169 perculit exilio solumque hoc rite peregit,
170 auctorem damnare suum. Postquam obsitus aevo
171 semivir excelsam rerum sublatus in arcem,
172 quod nec vota pati nec fingere somnia possent,
173 vidit sub pedibus leges subjectaque colla
174 nobilium tantumque sibi permittere fata,
175 qui nihil optasset plus libertate mereri,
176 jamjam dissimulat dominos alteque tumescunt
177 serviles animi. Procerum squalore repletus
178 carcer et exulibus Meroe campique gemescunt
179 Aethiopum ; poenis hominum plaga personat ardens ;
180 Marmaricus claris violatur caedibus Hammon.
181 Asperius nihil est humili cum surgit in altum :
182 cuncta ferit dum cuncta timet, desaevit in omnes
183 ut se posse putent, nec belua taetrior ulla
184 quam servi rabies in libera terga furentis ;
185 agnoscit gemitus et poenae parcere nescit,
186 quam subiit, dominique memor, quem verberat, odit.
187 Adde, quod eunuchus nulla pietate movetur
188 nec generi natisve cavet. Clementia cunctis
189 in similes, animosque ligant consortia damni ;
190 iste nec eunuchis placidus. Sed pejus in aurum
191 aestuat ; hoc uno fruitur succisa libido.
192 Quid nervos secuisse juvat ? Vis nulla cruentam
193 castrat avaritiam. Parvis exercita furtis
194 quae vastare penum neglectaque sueverat arcae
195 claustra remoliri, nunc uberiore rapina
196 peccat in orbe manus. Quidquid se Tigris ab Haemo
197 dividit, hoc certa proponit merce locandum
198 institor imperii, caupo famosus honorum.
199 Hic Asiam villa pactus regit ; ille redemit
200 conjugis ornatu Syriam ; dolet ille paterna
201 Bithynos mutasse domo. Subfixa patenti
202 vestibulo pretiis distinguit regula gentes :
203 tot Galatae, tot Pontus eat, tot Lydia nummis ;
204 si Lyciam tenuisse velis, tot milia ponas,
205 si Phrygas, adde ; parum ! Propriae solacia sorti
206 communes vult esse notas et venditus ipse
207 vendere cuncta cupit. Certantum saepe duorum
208 diversum suspendit onus ; cum pondere iudex
209 vergit, et in geminas nutat provincia lances.
210 Non pudet heu, superi, populos venire sub hasta ?
211 Vendentis certe pudeat. Quod jure sepultum
212 mancipium tot regna tenet, tot distrahit urbes.
213 Pollentem solo Croesum victoria Cyri
214 fregit, ut eunucho flueret Pactolus et Hermus ?
215 Attalus heredem voluit te, Roma, relinqui,
216 restitit Antiochus praescripto margine Tauri,
217 indomitos curru Servilius egit Isauros
218 et Pharos Augusto jacuit vel Creta Metello,
219 ne non Eutropio quaestus numerosior esset ?
220 In mercem veniunt Cilices, Judaea, Sophene
221 Romanusque labor Pompeianique triumpho.

222 Quo struis hos auri cumulos ? Quae pignora tantis
 223 succedent opibus ? Nubas ducasve licebit :
 224 numquam mater eris, numquam pater ; hoc tibi ferrum,
 225 hoc natura negat. Te grandibus India gemmis,
 226 te foliis Arabes ditent, te vellere Seres :
 227 nullus inops adeo, nullum sic urget egestas,
 228 ut velit Eutropii fortunam et membra pacisci.
 229 Jamque oblita sui nec sobria divitiis mens
 230 in miseram leges hominumque negotia ludit.
 231 Judicat eunuchus ; quid jam de consule miror ?
 232 Prodigium, quodcumque gerit. Quae pagina lites
 233 sic actas meminit ? Quibus umquam saecula terris
 234 eunuchi videre forum ? Sed ne qua vacaret
 235 pars ignominia neu quid restaret inausum,
 236 arma etiam violare parat portentaque monstris
 237 aggerat et secum petulans amentia certat.
 238 Erubuit Mavors aversaque risit Enyo
 239 dedecus Eoum, quotiens intenta sagittis
 240 et pharetra fulgens anus exercetur Amazon
 241 arbiter aut quotiens belli pacisque recurrit
 242 adloquiturque Getas. Gaudet cum viderit hostis
 243 et sentit jam desse viros. Incendia fumant,
 244 muris nulla fides, squalent populatibus agri
 245 et medio spes sola mari. Trans Phasin aguntur
 246 Cappadocum matres, stabulisque abducta paternis
 247 Caucasias captiva bibunt armenta pruinas
 248 et Scythicis mutant Argaei pabula silvis.
 249 Extra Cimmerias, Taurorum claustra, paludes
 250 flos Syriae servit. Spoliis nec sufficit atrox
 251 barbarus : in caedem vertunt fastidia praedae.
 252 Ille tamen (quid enim servum mollemque pudebit ?
 253 Aut quid in hoc poterit vultu flagrare ruboris ?)
 254 Pro victore redit : peditum vexilla sequuntur
 255 et turmae similes eunuchorumque manipuli,
 256 Hellespontiacis legio dignissima signis.
 257 Obvius ire cliens defensoremque reversum
 258 complecti. Placet ipse sibi laxasque laborat
 259 distendisse genas fictumque inflatus anhelat,
 260 pulvere respersus tineas et sordibus ora
 261 pallidior, verbisque sonat plorabile quiddam
 262 ultra nequitiam fractis et proelia narrat :
 263 perque suam tremula testatur voce sororem,
 264 defecisse vagas ad publica commoda vires ;
 265 cedere livori nec sustentare procellas
 266 invidiae ; mergique fretis spumantibus orat.
 267 Exoretque utinam ! Dum talia fatur ineptas
 268 detergit lacrimas atque inter singula dicta
 269 flebile suspirat : qualis venit arida socrus
 270 longinquam visura nurum ; vix lassa resedit
 271 et jam vina petit. Quid te, turpissime, bellis
 272 inseris aut saevi pertemptas Pallada campi ?
 273 Tu potes alterius studiis haerere Minervae
 274 et telas, non tela pati, tu stamina nosse,
 275 tu segnes operum sollers urgere puellas
 276 et niveam dominae pensis involvere lanam.
 277 Vel, si sacra placent, habeas pro Marte Cybeben ;
 278 rauca Celaenaeos ad tympana disce furores.
 279 Cymbala ferre licet pectusque inlidere pinu

280 inguinis et reliquum Phrygiis abscidere cultris.
 281 Arma relinque viris. Geminam quid dividis aulam
 282 conarisque pios odiis committere fratres ?
 283 Te magis, ah demens, veterem si respicis artem,
 284 conciliare decet. Gestis pro talibus annum
 285 flagitet Eutropius, ne quid non polluat unus,
 286 dux acies, judex praetoria, tempora consul !
 287 Nil adeo foedum, quod non exacta vetustas
 288 ediderit longique labor commiserit aevi.
 289 Oedipodes matrem, natam duxisse Thyestes
 290 cantatur, peperit fratres Iocasta marito
 291 et Pelopea sibi. Thebas ac funera Trojae
 292 tristis Erechthei deplorat scaena theatri.
 293 In volucrem Tereus, Cadmus se vertit in anguem.
 294 Scylla novos mirata canes. Hunc arbore figit,
 295 elevat hunc pluma, squamis hunc fabula vestit,
 296 hunc solvit fluvio. Numquam spado consul in orbe
 297 nec judex ductorve fuit ! Quodcumque virorum
 298 est decus, eunuchi scelus est. Exempla creantur
 299 quae socci superent risus luctusque cothurni.
 300 Quam pulcher conspectus erat, cum tenderet artus
 301 exangues onerare toga cinctuque gravatus
 302 indutoque senex obscaenior iret in auro :
 303 humani qualis simulator simius oris,
 304 quem puer adridens pretioso stamine Serum
 305 velavit nudasque nates ac terga reliquit,
 306 ludibrium mensis ; erecto pectore dives
 307 ambulat et claro sese deformat amictu.
 308 Candida pollutos comitatur curia fasces,
 309 forsitan et dominus. Praebet miracula lictor
 310 consule nobilior libertatemque daturus,
 311 quam necdum meruit. Scandit sublime tribunal
 312 atque inter proprias laudes Aegyptia jactat
 313 somnia prostratosque canit se vate tyrannos.
 314 Scilicet in dubio vindex Bellona pependit,
 315 dum spado Tiresias enervatusque Melampus
 316 reptat ab extremo referens oracula Nilo.
 317 Obstrepere avium voces, exhorruit annus
 318 nomen, et insanum gemino proclamat ab ore
 319 eunuchumque vetat fastis accedere Janus :
 320 sumeret inlicitos etenim si femina fasces,
 321 esset turpe minus. Medis levibusque Sabaeis
 322 imperat hic sexus, reginarumque sub armis
 323 barbariae pars magna jacet : gens nulla probatur,
 324 eunuchi quae sceptrum ferat. Tritonia, Phoebe,
 325 Terra, Ceres, Cybele, Juno, Latona coluntur :
 326 eunuchi quae templa dei, quas vidimus aras ?
 327 Inde sacerdotes ; haec intrat pectora Phoebus ;
 328 inde canunt Delphi ; Trojanam sola Minervam
 329 virginitas Vestalis adit flammisque tuetur :
 330 hi nullas meriti vittas semperque profani.
 331 Nascitur ad fructum mulier prolemque futuram :
 332 hoc genus inventum est ut serviat. Herculis arcu
 333 concidit Hippolyte ; Danai fugere bipennem,
 334 Penthesilea, tuam ; claras Carthaginis arces
 335 creditor et centum portis Babylona superbam
 336 femineus struxisse labor. Quid nobile gessit
 337 eunuchus ? Quae bella tulit ? Quas condidit urbes ?

338 Illas praeterea rerum natura creavit,
 339 hos fecere manus : seu prima Semiramis astu
 340 Assyriis mentita virum, ne vocis acutae
 341 mollities levesve genae se prodere possent,
 342 hos sibi conjunxit similes ; seu Parthica ferro
 343 luxuries vetuit nasci lanuginis umbram
 344 servatoque diu puerili flore coegit
 345 arte retardatam Veneri servire juventam.
 346 Fama prius falso similis vanoque videri
 347 ficta joco ; levior volitare per oppida rumor
 348 riderique nefas : veluti nigrantibus alis
 349 audiretur olor, corvo certante ligustris.
 350 Atque aliquis gravior morum : "Si talibus, inquit,
 351 creditur et nimiis turgent mendacia monstris,
 352 jam testudo volat, profert jam cornua vultur ;
 353 prona petunt retro fluvii juga ; Gadibus ortum
 354 Carmani texere diem ; jam frugibus aptum
 355 aequor et adsuetum silvis delphina videbo ;
 356 jam cochleis homines junctos et quidquid inane
 357 nutrit Judaicis quae pingitur India velis."
 358 Subicit et mixtis salibus lascivior alter :
 359 "Miraris ? Nihil est, quod non in pectore magnum
 360 concipit Eutropius. Semper nova, grandia semper
 361 diligit et celeri degustat singula sensu.
 362 Nil timet a tergo ; vigilantibus undique curis
 363 nocte dieque patet ; lenis facilisque moveri
 364 supplicibus mediaque tamen mollissimus ira
 365 nil negat et sese vel non poscentibus offert ;
 366 quod libet ingenio, subigit traditque fruendum ;
 367 quidquid amas, dabit illa manus ; communiter omni
 368 fungitur officio gaudetque potentia flecti.
 369 Hoc quoque conciliis peperit meritoque laborum,
 370 accipit et trabeas argutae praemia dextrae."
 371 Postquam vera fides facinus vulgavit Eoum
 372 gentibus et Romae jam certius impulit aures,
 373 "Eutropiumne etiam nostra dignabimur ira ?
 374 Hic quoque Romani meruit pars esse doloris ? "
 375 Sic effata rapit caeli per inania cursum
 376 diva potens unoque Padum translapsa volatu
 377 castra sui rectoris adit. Tum forte decorus
 378 cum Stilichone gener pacem inplorantibus ultro
 379 Germanis responsa dabat, legesque Caucis
 380 arduus et flavis signabat jura Suebis.
 381 His tribuit reges, his obside foedera sancit
 382 indicto ; bellorum alios transcribit in usus,
 383 militet ut nostris detonsa Sygambria signis.
 384 Laeta subit Romam pietas et gaudia paene
 385 moverunt lacrimas tantoque exultat alumno :
 386 sic armenta suo jam defensante juvenco
 387 celsius adsurgunt erectae cornua matri,
 388 sic jam terribilem stabulis dominumque ferarum
 389 crescere miratur genetrix Massyla leonem.
 390 Dimovit nebulam juvenique apparuit ingens.
 391 Tum sic orsa loqui : "Quantum te principe possim,
 392 non longinqua docent, domito quod Saxone Tethys
 393 mitior et fracto secura Britannia Picto ;
 394 ante pedes humili Franco tristisque Suebo
 395 perfruor et nostrum video, Germanice, Rhenum.

396 Sed quid agam ? Discors Oriens felicibus actis
 397 invidet atque alio Phoebi de cardine surgunt
 398 crimina, ne toto conspiret corpore regnum.
 399 Gildonis taceo magna cum laude receptam
 400 perfidiam et fretos Eoo robore Mauros.
 401 Quae suscepta fames, quantum discriminis urbi,
 402 ni tua vel soceri numquam non provida virtus
 403 australem Arctois pensasset frugibus annum !
 404 Investae Rhodani Tiberina per ostia classes
 405 Cinyphiisque ferax Araris successit aristis.
 406 Teutonicus vomer Pyrenaeique juvenci
 407 sudavere mihi ; segetes mirantur Hiberas
 408 horrea ; nec Libyae senserunt damna rebellis
 409 jam transalpina contenti messe Quirites.
 410 Ille quidem solvit meritas (scit Tabraca) poenas,
 411 ut pereat quicumque tuis conflixerit armis.
 412 "Ecce repens isdem clades a partibus exit
 413 terrorisque minus, sed plus habitura pudoris
 414 Eutropius consul. Pridem tolerare fatemur
 415 hoc genus, Arsacio postquam se regia fastu
 416 sustulit et nostros corrumpit Parthia mores.
 417 Praefecti sed adhuc gemmis vestique dabantur
 418 custodes sacroque adhibere silentia somno ;
 419 militia eunuchi numquam progressa cubili,
 420 non vita spondente fidem, sed inertia tutum
 421 mentis pignus erat. Secreta monilia servant,
 422 ornatus curent Tyrios : a fronte recedant
 423 imperii. Tenero tractari pectore nescit
 424 publica majestas. Numquam vel in aequore puppim
 425 vidimus eunuchi clavo parere magistri.
 426 Nos adeo sperni faciles ? Orbisque carina
 427 vilior ? Auroram sane, quae talia ferre
 428 gaudet, et adsuetas sceptris muliebribus urbes
 429 possideant ; quid belligeram communibus urunt
 430 Italiam maculis nocituraque probra severis
 431 admiscent populis ? Peregrina piacula forti
 432 pellantur longe Latio nec transeat Alpes,
 433 dedecus ; in solis, quibus extitit, haereat arvis.
 434 Scribat Halys, scribat famae contemptor Orontes :
 435 per te perque tuos obtestor Roma triumphos,
 436 nesciat hoc Thybris, numquam poscentibus olim
 437 qui dare Dentatis annos Fabiisque solebat.
 438 Martius eunuchi repetet suffragia campus ?
 439 Aemilios inter servatoresque Camillos
 440 Eutropius ? Jam Chrysogonis tua, Brute, potestas
 441 Narcissisque datur ? Natos hoc dedere poenae
 442 profuit et misero civem praeponere patri ?
 443 Hoc mihi Janiculo positus Etruria castris
 444 quaesivit et tantum fluvio Porsenna remotus ?
 445 Hoc meruit vel ponte Cocles vel Mucius igne ?
 446 Visceribus frustra castum Lucretia ferrum
 447 mersit et attonitum tranavit Cloelia Thybrim ?
 448 Eutropio fasces adservabantur adempti
 449 Tarquiniis ? Quemcumque meae vexere curules,
 450 laxato veniat socium aversatus Averno.
 451 Impensi sacris Decii prorumpite bustis
 452 Torquatique truces animosaque pauperis umbra
 453 Fabricii tuque o, qui forte inferna piorum

454 jugera et Elysias scindis, Serrane, novales.
 455 Poeno Scipiadae, Poeno praeclare Lutati,
 456 Sicania Marcelle ferox, gens Claudia surgas
 457 et Curii veteres ; et, qui sub jure negasti
 458 vivere Caesareo, parvo procede sepulcro
 459 Eutropium passure Cato ; remeate tenebris,
 460 agmina Brutorum Corvinorumque catervae.
 461 Eunuchi vestros habitus, insignia sumunt
 462 ambigui Romana mares ; rapuere tremendas
 463 Hannibali Pyrrhoque togas ; flabella perosi
 464 adspirant trabeis ; jam non umbracula gestant
 465 virginibus, Latias ausi vibrare secures !
 466 "Linquite femineas infelix turba latebras,
 467 alter quos pepulit sexus nec suscipit alter,
 468 exsecti Veneris stimulos et vulnere casti
 469 (mixta duplex aetas ; inter puerumque senemque
 470 nil medium) : falsi complete sedilia patres ;
 471 ite novi proceres infecundoque senatu
 472 Eutropium stipate duces ; celebrate tribunal
 473 pro thalamis, verso jam discite more curules,
 474 non matrum pilenta sequi. "Ne prisca revolvam
 475 neu numerem, quantis injuria mille per annos
 476 sit retro ducibus, quanti foedabitur aevi
 477 canities, unam subeant quot saecula culpam :
 478 inter Arinthaevi fastos et nomen erile
 479 servus erit dominoque suos aequalis honores
 480 inseret ! Heu semper Ptolemaei noxia mundo
 481 mancipia ! En alio laedor graviore Pothino
 482 et patior majus Phario scelus. Ille cruorem
 483 consulis unius Pellaeis ensibus hausit :
 484 inquinat hic omnes. "Si nil privata movebunt,
 485 at tu principibus, vestrae tu prospice causae
 486 regalesque averte notas. Hunc accipit unum
 487 aula magistratum : vobis patribusque recurrit
 488 hic alternus honos. In crimen euntibus annis
 489 parce, quater consul ! Contagia fascibus, oro,
 490 defendas ignava tuis neu tradita libris
 491 omina vestitusque meos, quibus omne, quod ambit
 492 oceanus, domui, tanta caligine mergi
 493 calcarique sinas. Nam quae jam bella geramus
 494 mollibus auspiciis ? Quae jam conubia prolem
 495 vel frugem latura seges ? Quid fertile terris,
 496 quid plenum sterili possit sub consule nasci ?
 497 Eunuchi si jura dabunt legesque tenebunt,
 498 ducant pensa viri mutatoque ordine rerum
 499 vivat Amazonio confusa licentia ritu.
 500 "Quid trahor ulterius ? Stilicho, quid vincere differs,
 501 dum certare pudet ? Nescis quod turpior hostis
 502 laetitia majore cadit ? Piratica Magnum
 503 erigit, inlustrat servilis laurea Crassum.
 504 Adnuis. Agnosco fremitum, quo palluit Eurus,
 505 quo Mauri Gildoque ruit. Quid Martia signa
 506 sollicitas ? Non est jaculis hastisque petendus :
 507 conscia succumbent audito verbere terga,
 508 ut Scythia post multos rediens exercitus annos,
 509 cum sibi servilis pro finibus obvia pubes
 510 iret et arceret dominos tellure reversos,
 511 armatam ostensis aciem fudere flagellis :

512 notus ab inceptis ignobile reppulit horror
 513 vulgus et adductus sub verbera torpuit ensis."

LIBER SECUNDUS

PRAEFATIO

E2_1 v.1 Qui modo sublimes rerum flectebat habenas
 2 patricius, rursus verbera nota timet
 3 et solitos tardae passurus compedis orbes
 4 in dominos vanas luget abisse minas.
 5 Culmine dejectum vitae Fortuna priori
 6 reddidit, insano jam satiata joco.
 7 Scindere nunc alia meditatur ligna securi
 8 fascibus et tandem vapulat ipse suis.
 9 Ille citas consul poenas se consule solvit :
 10 annus qui trabeas hic dedit exilium.
 11 Infaustum populis in se quoque vertitur omen ;
 12 saevit in auctorem prodigiosus honos.
 13 Abluto penitus respirant nomine fasti
 14 maturamque luem sanior aula vomit.
 15 Dissimulant socii conjuratique recedunt,
 16 procumbit pariter cum duce tota cohors ;
 17 non acie victi, non seditione coacti,
 18 nec pereunt ritu quo periire viri.
 19 Concidit exiguae dementia vulnere chartae ;
 20 confecit saevum littera Martis opus.
 21 Mollis feminea detruditur arce tyrannus
 22 et thalamo pulsus perdidit imperium :
 23 sic juvenis nutante fide veterique reducta
 24 paelice defletam linquit amica domum.
 25 Canitiem raram largo jam pulvere turpat
 26 et lacrimis rugas implet anile gemens
 27 suppliciterque pias humilis prostratus ad aras
 28 mitigat iratas voce tremente nurus.
 29 Innumeri glomerantur eri sibi quisque petentes
 30 mancipium solis utile suppliciis.
 31 Quamvis foedus enim mentemque obscaenior ore,
 32 ira dabit pretium ; poena meretur emi.
 33 Quas, spado, nunc terras aut quem transibis in axem ?
 34 Cingeris hinc odiis, inde recessit amor.
 35 Utraque te gemino sub sidere regia damnat :
 36 Hesperius numquam, jam nec Eous eris.
 37 Miror cur, aliis qui pandere fata solebas,
 38 ad propriam cladem caeca Sibylla taces.
 39 Jam tibi nulla videt fallax insomnia Nilus ;
 40 pervigilant vates nec, miserande, tui.
 41 Quid soror ? Audebit tecum conscendere puppim
 42 et veniet longum per mare fida comes ?
 43 An fortasse toros eunuchi pauperis odit
 44 et te nunc inopem dives amare negat ?
 45 Eunuchi jugulum primus secuisse fateris ;
 46 sed tamen exemplo non feriere tuo.
 47 Vive pudor fatis. En quem tremuere tot urbes,
 48 en cujus populi sustinere jugum !
 49 Direptas quid plangis opes, quas natus habebit ?

50 Non aliter poteris principis esse pater.
 51 Inprobe, quid pulsas muliebribus astra querellis,
 52 quod tibi sub Cypri litore parta quies ?
 53 Omnia barbarico per te concussa tumultu.
 54 Crede mihi, terra tutius aequor erit.
 55 Jam non Armenios jaculis terrebis et arcu,
 56 per campos volucrem non agitabis equum ;
 57 dilecto caruit Byzantius ore senatus ;
 58 curia consiliis aestuat orba tuis :
 59 emeritam suspende togam, suspende pharetram ;
 60 ad Veneris partes ingeniumque redi.
 61 Non bene Gradivo lenonia dextera servit.
 62 Suscipiet famulum te Cytherea libens.
 63 Insula laeta choris, blandorum mater Amorum :
 64 nulla pudicitiae cura placere potest.
 65 Prospectant Paphiae celsa de rupe puellae
 66 sollicitae, salvam dum ferat unda ratem.
 67 Sed vereor, teneant ne te Tritones in alto
 68 lascivas doctum fallere Nereidas,
 69 aut idem cupiant pelago te mergere venti,
 70 Gildonis nuper qui tenuere fugam.
 71 Inclita captivo memoratur Tabraca Mauro,
 72 naufragio Cypros sit memoranda tuo.
 73 Vecturum moriens frustra delphina vocabis ;
 74 ad terram solos devehit ille viros.
 75 Quisquis adhuc similes eunuchus tendit in actus,
 76 respiciens Cyprum desinat esse ferox.

LIBER SECUNDUS

E2_2 v.1 Mygdonii cineres et si quid restat Eoi,
 2 quod pereat, regni : certe non augure falso
 3 prodigii patuere minae, frustra peracto
 4 vulnere monstiferi praesagia discitis anni.
 5 Cautior ante tamen violentum navita Caurum
 6 prospicit et tumidae subducit vela procellae.
 7 Quid juvat errorem mersa jam puppe fateri ?
 8 Quid lacrimae delicta levant ? Stant omina vestri
 9 consulis : inmotis haesere piacula fati.
 10 Tum decuit sentire nefas, tunc ire recentes
 11 detersum maculas. Veteri post obruta morbo
 12 corpora Paeonias nequiquam admoveris herbas.
 13 Ulcera possessis alte suffusa medullis
 14 non levio manu, ferro sanantur et igni,
 15 ne noceat frustra mox eruptura cicatrix.
 16 Ad vivum penetrant flammae, quo funditus umor
 17 defluat et vacuis corrupto sanguine venis
 18 arescat fons ipse mali ; truncantur et artus,
 19 ut liceat reliquis securum degere membris.
 20 At vos egregie purgatam creditis aulam,
 21 Eutropium si Cypros habet ? Vindictaque mundi
 22 semivir exul erit ? Quis vos lustrare valebit
 23 oceanus ? Tantum facinus quae diluet aetas ?
 24 Induerat necdum trabeas : mugitus ab axe
 25 redditus inferno, rabies arcana cavernas
 26 vibrat et alterno conflagunt culmina lapsu.
 27 Bacchatus per operta tremor Calchedona movit,
 28 pronus et in geminas nutavit Bosphorus urbes.

29 Concurrere freti fauces, radice revulsa
30 vitant instabilem rursum Symplegada nautae.
31 Scilicet haec Stygiae praemittunt signa sorores
32 et sibi jam tradi populos hoc consule gaudent.
33 Mox oritur diversa lues : hinc Mulciber ignes
34 sparserat, hinc victa proruperat obice Nereus ;
35 haec flagrant, haec tecta natant. Quam, numina, poenam
36 servatis sceleri, cujus tot cladibus omen
37 constitit ? Incumbas utinam, Neptune, tridenti
38 pollutumque solum toto cum crimine mergas.
39 Unam pro mundo Furiis concedimus urbem.
40 Utque semel patuit monstris iter, omnia tempus
41 nacta suum properant : nasci tum decolor imber
42 infantumque novi vultus et dissona partu
43 semina, tum lapidum fletus armentaue vulgo
44 ausa loqui mediisque ferae se credere muris ;
45 tum vates sine more rapi lymphataque passim
46 pectora terrifici stimulis ignescere Phoebi.
47 Fac nullos cecinisse deos : adeone retusi
48 quisquam cordis erit, dubitet qui partibus illis
49 adfore fatalem castrati consulis annum ?
50 Sed quam caecus inest vitiis amor ! Omne futurum
51 despicitur suadentque brevem praesentia fructum
52 et ruit in vetitum damni securalibido,
53 dum mora supplicii lucro serumque quod instat
54 creditur. Haud equidem contra tot signa Camillo
55 detulerim fasces, nedum (pro sexus !) Inerti
56 mancipio, cui, cuncta licet responsa juberent
57 hortantesque licet sponderent prospera divi,
58 turpe fuit cessisse viros. Exquirite retro
59 crimina continui lectis annalibus aevi,
60 prisca recensitis evolvite saecula fastis :
61 quid senis infandi Capreae, quid scaena Neronis
62 tale ferunt ? Spado Romuleo succinctus amictu
63 sedit in Augustis laribus. Vulgata patebat
64 aula salutantum studiis ; huc plebe senatus
65 permixta trepidique duces omnisque potestas
66 confluit. Advolvi genibus, contingere dextram
67 ambitus et votum deformibus oscula rugis
68 figere. Praesidium legum genitorque vocatur
69 principis et famulum dignatur regia patrem.
70 Posteritas, admitte fidem : monumenta petuntur
71 dedecoris multisque gemunt incudibus aera
72 formatura nefas. Haec iudicis, illa togati,
73 haec nitet armati species ; numerosus ubique
74 fulget eques : praefert eunuchi curia vultus.
75 Ac veluti caveant ne qua consistere virtus
76 possit pura loco, cunctas hoc ore laborant
77 incestare vias. Maneant inmota precamur
78 certaque perpetui sint argumenta pudoris.
79 Subter adulantes tituli nimiaeque leguntur
80 vel maribus laudes : claro quod nobilis ortu
81 (cum vivant domini !), quod maxima proelia solus
82 impleat (et patitur miles !), quod tertius urbis
83 conditor (hoc Byzas Constantinusque videbunt !).
84 Inter quae tumidus leno producere cenas
85 in lucem, foetere mero, dispergere plausum
86 empturas in vulgus opes, totosque theatris

87 indulgere dies, alieni prodigus auri.
 88 At soror et, si quid portentis creditur, uxor
 89 mulcebat matres epulis et more pudicae
 90 conjugis eunuchi celebrabat vota mariti.
 91 Hanc amat, hanc summa de re vel pace vel armis
 92 consulit, huic curas et clausa palatia mandat
 93 ceu stabulum vacuumque domum. Sic magna tueri
 94 regna nihil, patiensque jugi deluditur orbis ?
 95 Mitior alternum Zephyri jam bruma teporem
 96 senserat et primi laxabant germina flores,
 97 jamque iter in gremio pacis sollemne parabant
 98 ad muros, Ancyra, tuos, auctore repertum
 99 Eutropio, pelagi ne taedia longa subirent,
 100 sed vaga lascivis flueret discursibus aestas :
 101 unde tamen tanta sublimes mole redibant,
 102 ceu vinctos traherent Medos Indumque bibissent.
 103 Ecce autem flavis Gradivus ab usque Gelonis
 104 arva cruentato repetebat Thracia curru :
 105 subsidunt Pangaea rotis altaeque sonoro
 106 stridunt axe nives. Ut vertice constitit Haemi
 107 femineasque togas pressis conspexit habenis,
 108 subrisit crudele pater cristisque micantem
 109 quassavit galeam ; tunc implacabile numen
 110 Bellonam adloquitur, quae sanguine sordida vestem
 111 Illyricis pingues pectebat stragibus hydros :
 112 "Necdum mollitiae, necdum, germana, mederi
 113 possumus Eoae ? Numquam corrupta rigescent
 114 saecula ? Cappadocum tepidis Argaeus acervis
 115 aestuat ; infelix etiamnum pallet Orontes.
 116 Dum pereunt, meminere mali ; si corda parumper
 117 respirare sinas, nullo tot funera sensu
 118 praetereunt : antiqua levis jactura cruoris.
 119 "Adspicis obscaenum facinus ? Quid crinibus ora
 120 protegis ? En quales sese diffudit in actus
 121 parva quies, quantum nocuerunt otia ferri !
 122 Qui caruit bellis, eunucho traditur annus.
 123 Actum de trabeis esset, si partibus una
 124 mens foret Hesperiiis ; rueret derisa vetustas
 125 nullaque calcati starent vestigia juris,
 126 ni memor imperii Stilicho morumque priorum
 127 turpe relegasset defenso Thybride nomen
 128 intactamque novo servasset crimine Romam.
 129 Ille dedit portum, quo se pulsata referret
 130 majestas Latii deformataeque secures ;
 131 ille dedit fastos, ad quos Oriente relicto
 132 confugeret sparsum maculis servilibus aevum.
 133 "Quam similes haec aula viros ! Ad moenia visus
 134 dirige : num saltem tacita formidine mussant ?
 135 Num damnant animo ? Plaudentem cerne senatum
 136 et Byzantinos proceres Graiosque Quirites.
 137 O patribus plebes, o digni consule patres !
 138 Quid ? Quod et armati cessant et nulla virilem
 139 inter tot gladios sexum reminiscitur ira ?
 140 Hucine nostrorum cinctus abihere nepotum ?
 141 Sic Bruti despectus honos ? "Ignosce parenti,
 142 Romule, quod serus temeratis fascibus ultor
 143 advenio : jamjam largis haec gaudia faxo
 144 compensent lacrimis. Quid dudum inflare moraris

145 Tartaream, Bellona, tubam, quid stringere falcem,
146 qua populos a stirpe metis ? Molire tumultus,
147 excute delicias. Thracum Macetumque ruinae
148 taedet et in gentes iterum saevire sepultas.
149 Damna minus consueta move ; trans aequora saevas
150 verte faces ; aliis exordia sume rapinis.
151 Non tibi Riphaeis hostis quaerendus ab oris,
152 non per Caucasias accito turbine valles
153 est opus. Ostrogothis colitur mixtisque Gruthungis
154 Phryx ager : hos parvae poterunt impellere causae
155 in scelus ; ad mores facilis natura reverti.
156 Sic eat : in nostro quando jam milite robur
157 torpuit et molli didicit parere magistro,
158 vindicet Arctous violatas advena leges ;
159 barbara Romano succurrant arma pudori."
160 Sic fatus clipeo, quantum vix ipse deorum
161 arbiter infesto cum percutit aegida nimbo,
162 intonuit. Responsat Athos Haemusque remugit ;
163 ingeminat raucum Rhodope concussa fragorem.
164 Cornua cana gelu mirantibus extulit undis
165 Hebrus et exanguem glacie timor adligat Histrum.
166 Tunc, adamante gravem nodisque rigentibus hastam,
167 telum ingens nullique deo jaculabile, torsit.
168 Fit late ruptis via nubibus ; illa per auras
169 tot freta, tot montes uno contenta volatu
170 transilit et Phrygiae mediis adfigitur arvis.
171 Sensit humus ; gemuit Nysaeo palmite felix
172 Hermus et aurata Pactolus inhorruit urna
173 totaque summissis fleverunt Dindyma silvis.
174 Nec dea praemissae stridorem segnius hastae
175 consequitur, centumque vias meditata nocendi
176 tandem Tarbigilum (Geticae dux improbus alae
177 hic erat) adgreditur. Viso tum forte redibat
178 Eutropio vacuus donis, feritasque dolore
179 creverat et, teneris etiam quae crimina suadet
180 ingeniis, Scythicum pectus flammabat egestas.
181 Huic sese vultu simulatae conjugis offert
182 mentitoque ferox incedit barbara gressu,
183 carbaseos induta sinus : post terga reductas
184 uberibus propior mordebat fibula vestes,
185 inque orbem tereti mitra retinente capillum
186 strinxerat et virides flavescere jusserat angues.
187 Advolat ac niveis reducem complectitur ulnis
188 infunditque animo furiale per oscula virus.
189 Principe quam largo veniat, quas inde reportet
190 divitias, astu rabiem motura requirit.
191 Ille iter ingratum, vanos deflere labores,
192 quos super eunuchi fastus, quae probra tulisset.
193 Continuo secat ungue genas et tempore pandit
194 adrepto gemitus : "I nunc, devotus aratris
195 scinde solum positoque tuos mucrone sodales
196 ad rastos sudare doce. Bene rura Gruthungus
197 excolet et certo disponet sidere vites.
198 Felices aliae, quas debellata maritis
199 oppida, quas magnis quaesitae viribus ornant
200 exuviae, quibus Argivae pulchraeque ministrant
201 Thessalides, famulas et quae meruere Lacaenas.
202 Me nimium timido, nimium junxere remisso

203 fata viro, totum qui degener exuit Histrum,
 204 qui refugit patriae ritus, quem detinet aequi
 205 gloria concessoque cupit vixisse colonus
 206 quam dominus raptō. Quid pulchra vocabula pigris
 207 praetentas vitiis ? Probitatis inertia nomen,
 208 justitiae formido subit. Tolerabis iniquam
 209 pauperiem, cum tela geras ? Et flebis inultus,
 210 cum pateant tantae nullis custodibus urbes ?
 211 "Quippe metus poenae. Pridem mos ille vigebat,
 212 ut meritos colerent impacatisque rebelles
 213 urgerent odiis ; at nunc, qui foedera rumpit,
 214 ditatur ; qui servat, eget. Vastator Achivae
 215 gentis et Epirum nuper populatus inultam
 216 praesidet Illyrico ; jam, quos obsedit, amicos
 217 ingreditur muros illis responsa daturus,
 218 quorum conjugibus potitur natosque peremit.
 219 Sic hostes punire solent, haec praemia solvunt
 220 excidiis. Cunctaris adhuc numerumque tuorum
 221 respicis exiguamque manum ? Tu rumpe quietem ;
 222 bella dabunt socios. Nec te tam prona monerem,
 223 si contra paterere viros : nunc alter in armis
 224 sexus et eunuchis se defensoribus orbis
 225 credidit ; hos aquilae Romanaeque signa secuntur.
 226 Incipe barbaricae tandem te reddere vitae,
 227 te quoque jam timeant admirenturque nocentem,
 228 quem sprevere pium. Spoliis praedaeque repletus
 229 cum libeat Romanus eris." Sic fata repente
 230 in diram se vertit avem rostroque recurvo
 231 turpis et infernis tenebris obscurior alas
 232 auspiciū veteri sedit ferale sepulcro.
 233 Ille, pavor postquam resolutō corde quievit
 234 et rigidae sedere comae, non distulit atrox
 235 jussa deae ; sociis, quae viderat, ordine pandit
 236 inritatque sequi. Conjurat barbara pubes
 237 nacta ducem Latiisque palam descivit ab armis.
 238 Pars Phrygiae, Scythicis quaecumque Trionibus alget
 239 proxima, Bithynos, solem quae condit, Ionas,
 240 quae levat, attingit Galatas. Utrimque propinqui
 241 finibus obliquis Lydi Pisidaeque feroces
 242 continuant australe latus. Gens una fuere
 243 tot quondam populi, priscum cognomen et unum
 244 appellata Phryges ; sed (quid non longa valebit
 245 permutare dies ?) dicti post Maeona regem
 246 Maeones. Aegaeos insedit Graecia portus ;
 247 Thyni Thraces arant quae nunc Bithynia fertur ;
 248 nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens
 249 illis ante vagus tandem regionibus haesit
 250 gaesaeque deposuit, Graio jam mitis amictu,
 251 pro Rheno poturus Halyn. Dat cuncta vetustas
 252 principium Phrygibus ; nec rex Aegyptius ultra
 253 restitit, humani postquam puer uberis expers
 254 in Phrygiam primum laxavit murmura vocem.
 255 Hic cecidit Libycis jactata paludibus olim
 256 tibia, foedatam cum reddidit umbra Minervam,
 257 hic et Apollinea victus testudine pastor
 258 suspensa memores inlustrat pelle Celaenas.
 259 Quattuor hinc magnis procedunt fontibus amnes
 260 auriferi ; nec miror aquas radiare metallo,

261 quae totiens lavere Midan. Diversus ad Austrum
 262 cursus et Arctoum fluviis mare. Dindyma fundunt
 263 Sangarium, vitrei puro qui gurgite Galli
 264 auctus Amazonii defertur ad ostia Ponti.
 265 Icarium pelagus Mycalaeaque litora juncti
 266 Marsya Maeanderque petunt ; sed Marsya velox,
 267 dum suus est, flexuque carens jam flumine mixtus
 268 mollitur, Maeandre, tuo ; contraria passus
 269 quam Rhodano stimulatus Arar : quos inter aprica
 270 planities Cererique favet densisque ligatur
 271 vitibus et glaucae fructus attollit olivae,
 272 dives equis, felix pecori pretiosaque picto
 273 marmore purpureis, caedit quod Synnada, venis.
 274 Talem tum Phrygiam Geticis populatibus uri
 275 permisere dei. Securas barbarus urbes
 276 inrupit facilesque capi. Spes nulla salutis,
 277 nulla fugae : putribus jam propugnacula saxis
 278 longo corruerant aevo pacisque senecta.
 279 Interea gelidae secretis rupibus Idae
 280 dum sedet et thiasos spectat de more Cybebe
 281 Curetumque alacres ad tympana suscitatur enses,
 282 aurea sanctarum decus inmortale comarum
 283 defluxit capiti turris summoque volutus
 284 vertice crinalis violatur pulvere murus.
 285 Obstipuere truces omen Corybantes et uno
 286 fixa metu tacitas presserunt orgia buxos.
 287 Indoluit genetrix, tum sic commota profatur :
 288 "Hoc mihi jam pridem Lachesis grandaeva canebat
 289 augurium : Phrygiae casus venisse supremos
 290 delapsus testatur apex. Heu sanguine qualis
 291 ibit Sangarius quantasque cadavera lenti
 292 Maeandri passura moras ! Inmobilis haeret
 293 terminus, haec dudum nato placuere Tonanti.
 294 Par et finitimis luctus, frustra Lyaei
 295 non defensuros implorat Lydia thyrsos.
 296 Jamque vale Phrygiae tellus perituraque flammis
 297 moenia, conspicuas quae nunc attollitis arces,
 298 mox campi nudumque solum ! Dilecta valet
 299 flumina ! Non vestris ultra bacchabor in antris
 300 nec juga sulcabit noster Berecynthia currus".
 301 Dixit et ad tristes convertit tympana planctus.
 302 Labentem patriam sacris ululatibus Attis
 303 personat et torvi lacrimis maduere leones.
 304 Eutropius, nequeat quamvis metuenda taceri
 305 clades et trepidus vulgaverit omnia rumor,
 306 ignorare tamen fingit regnique ruinas
 307 dissimulat : parvam latronum errare catervam,
 308 ad fontes tormenta magis quam tela parari
 309 nec duce frangendas jactat, sed iudice vires :
 310 vasta velut Libyae venantum vocibus ales
 311 cum premitur calidas cursu transmittit harenas
 312 inque modum veli sinuatis flamine pennis
 313 pulverulenta volat ; si jam vestigia retro
 314 clara sonent, oblita fugae stat lumine clauso
 315 (ridendum !) revoluta caput creditque latere,
 316 quem non ipsa videt. Furtim tamen ardua mittit
 317 cum donis promissa novis, si forte rogatus
 318 desinat. Ille semel nota dulcedine praedae

319 se famulo servire negat, nec grata timentum
320 munera ; militiam nullam nec prima superbus
321 cingula dignari : nam quis non consule tali
322 vilis honos ? Postquam precibus mitescere nullis,
323 non auro cessisse videt creberque recurrit
324 nuntius incassum nec spes jam foederis extat :
325 tandem consilium belli confessus agendi
326 ad sua tecta vocat. Juvenes venere protervi
327 lascivique senes, quibus est insignis edendi
328 gloria corruptasque dapes variasse decorum,
329 qui ventrem invitant pretio traduntque palato
330 sidereas Junonis aves et si qua loquendi
331 gnara coloratis viridis defertur ab Indis,
332 quaesitos trans regna cibos, quorumque profundam
333 ingluviem non Aegaeus, non alta Propontis,
334 non freta longinquis Maeotia piscibus explent.
335 Vestis odoratae studium ; laus maxima risum
336 per vanos movisse sales minimeque viriles
337 munditiae ; compti vultus ; onerique vel ipsa
338 serica. Si Chunus feriat, si Sarmata portas,
339 solliciti scaenae ; Romam contemnere sueti
340 mirarique suas, quas Bosphorus obruat ! Aedes ;
341 saltandi dociles aurigarumque periti.
342 Pars humili de plebe duces ; pars compede suras
343 cruraque signati nigro liventia ferro
344 jura regunt, facies quamvis inscripta repugnet
345 seque suo prodat titulo. Sed prima potestas
346 Eutropium praefert Hosio subnixa secundo.
347 Dulcior hic sane cunctis prudensque movendi
348 juris et admoto qui temperet omnia fumo,
349 fervidus, accensam sed qui bene decoquat iram.
350 Considerant apices gemini dicionis Eoae,
351 hic cocus, hic leno, defossi verbere terga,
352 servitio, non arte pares, hic saepius emptus,
353 alter ad Hispanos nutritus verna penates.
354 Ergo ubi collecti proceres, qui rebus in artis
355 consulerent tantisque darent solacia morbis,
356 obliti subito Phrygiae bellisque relictis
357 ad solitos coepere jocos et jurgia circi
358 tendere. Nequiquam magna confligitur ira,
359 quis melius vibrata puer vertigine molli
360 membra rotet, verrat quis marmora crine supino ?
361 Quis magis enodes laterum detorqueat arcus,
362 quis voci digitos, oculos quis moribus aptet ?
363 Hi tragicos meminere modos ; his fabula Tereus,
364 his necdum commissa choro cantatur Agave.
365 Increpat Eutropius : non haec spectacula tempus
366 poscere ; nunc alias armorum incumbere curas ;
367 se satis Armenio fessum pro limite cingi
368 nec tantis unum subsistere posse periculis ;
369 ignoscant senio, juvenes ad proelia mittant :
370 qualis pauperibus nutrix invisita puellis
371 adsidet et tela communem quaerere victum
372 rauca monet ; festis illae lusisse diebus
373 orant et positis aequaevas visere pensis,
374 irataeque operi jam lasso pollice fila
375 turbant et teneros detergunt stamine fletus.
376 Emicat extemplo cunctis trepidantibus audax

377 crassa mole Leo, quem vix Cyclopia solum
378 aequatura fames, quem non jejuna Celaeno
379 vinceret ; hinc nomen fertur meruisse Leonis.
380 Acer in absentes, linguae jactator, abundans
381 corporis exiguusque animi, doctissimus artis
382 quondam lanificae, moderator pectinis unci.
383 Non alius lanam purgatis sordibus aequae
384 praebuerit calathis, similis nec pingua quisquam
385 vellera per tenues ferri producere rimas.
386 Tunc Ajax erat Eutropii lateque fremebat,
387 non septem vasto quatiens umbone juvencos,
388 sed, quam perpetuis dapibus pigroque sedili
389 inter anus interque colos oneraverat, alvum.
390 Adsurgit tandem vocemque expromit anhelam :
391 "Quis novus hic torpor, socii ? Quonam usque sedemus
392 femineis clausi thalamis patimurque periculum
393 gliscere desidia ? Graviorum turba malorum
394 textitur, ignavis trahimus dum tempora votis.
395 Me petit hic sudor. Numquam mea dextera segnis
396 ad ferrum. Faveat tantum Tritonia coeptis,
397 inceptum peragetur opus. Jam cuncta furorem
398 qui gravat, efficiam leviolem pondere lanae
399 Tarbigilum tumidum, desertoresque Gruthungos
400 ut miseram populam oves et pace relata
401 pristina restituam Phrygias ad stamina matres".
402 His dictis iterum sedit ; fit plausus et ingens
403 concilii clamor, qualis resonantibus olim
404 exoritur caveis, quotiens crinitus ephebus
405 aut rigidam Niobem aut flentem Troada fingit.
406 Protinus excitis iter inremeabile signis
407 arripit infaustoque jubet bubone moveri
408 agmina Mygdonias mox inpletura volucres.
409 Pulcher et urbanae cupiens exercitus umbrae,
410 adsiduus ludis, avidus splendere lavacris
411 nec soles imbresve pati, multumque priori
412 dispar, sub clipeo Thracum qui ferre pruinas,
413 dum Stilicho regeret, nudoque hiemare sub axe
414 sueverat et duris haurire bipennibus Hebrum.
415 Cum duce mutatae vires. Byzantia robur
416 fregit luxuries Ancyranique triumpho.
417 Non peditem praecedit eques ; non commoda castris
418 eligitur regio ; vicibus custodia nullis
419 advigilat vallo ; non explorantur eundae
420 vitandaeque viae ; nullo se cornua flectunt
421 ordine ; confusi passim per opaca vagantur
422 lustra, per ignotas angusto tramite valles.
423 Sic vacui rectoris equi, sic orba magistro
424 fertur in abruptum casu, non sidere, puppis ;
425 sic ruit in rupes amisso pisce sodali
426 belua, sulcandas qui praevius edocet undas
427 immensumque pecus parvae moderamine caudae
428 temperat et tanto conjungit foedera monstro ;
429 illa natat rationis inops et caeca profundi ;
430 jam brevibus deprensa vadis ignara reverti
431 palpitat et vanos scopulis inlidit hiatus.
432 Tarbigilus simulare fugam flatumque Leonis
433 spe nutrire leves improvisusque repente,
434 dum gravibus marcent epulis hostique catenas

435 inter vina crepant, largo sopita Lyaeo
436 castra subit. Pereunt alii, dum membra cubili
437 tarda levant ; alii leto junxere soporem ;
438 ast alios vicina palus sine more ruentes
439 excipit et cumulis inmanibus aggerat undas.
440 Ipse Leo damma cervoque fugacior ibat
441 sudanti tremebundus equo : qui pendere postquam
442 decidit, implicitus limo cunctantia pronus
443 per vada reptabat. Caeno subnixa tenaci
444 mergitur et pingui suspirat corpore moles
445 more suis, dapibus quae jam devota futuris
446 turpe gemit, quotiens Hosius mucrone corusco
447 armatur cingitque sinus secumque volutat,
448 quas figat verubus partes, quae frustra calenti
449 mandet aquae quantoque cutem distendat echino :
450 flagrat opus ; crebro pulsatus perstrepit ictu ;
451 contextit varius penetrans Calchedona nidor.
452 Ecce levis frondes a tergo concutit aura :
453 credit tela Leo ; valuit pro vulnere terror
454 implevitque vicem jaculi, vitamque nocentem
455 integer et sola formidine saucius efflat.
456 Quis tibi tractandos pro pectine, degener, enses,
457 quis solio campum praeponere suasit avito ?
458 Quam bene texentum laudabas carmina tutus
459 et matutinis pellebas frigora mensis !
460 Hic miserande jaces ; hic, dum tua vellera vitas,
461 tandem fila tibi neverunt ultima Parcae.
462 Jam vaga pallentem densis terroribus aulam
463 fama quatit ; stratatas acies, deleta canebat
464 agmina, Maeonios foedari caedibus agros,
465 Pamphylos Pisidasque rapi. Metuendus ab omni
466 Tarbigilus regione tonat ; modo tendere cursum
467 in Galatas, modo Bithynis incumbere fertur.
468 Sunt qui per Cilicas rupto descendere Tauro,
469 sunt qui correptis ratibus terraque marique
470 adventare ferant ; geminantur vera pavoris
471 ingenio : longe spectari e puppibus urbes
472 accensas, lucere fretum ventoque citatas
473 omnibus in pelago velis haerere favillas.
474 Hos inter strepitus funestior advolat alter
475 nuntius : armatam rursus Babylona minari
476 rege novo ; resides Parthos ignava perosos
477 otia Romanae finem jam quaerere paci.
478 Rarus apud Medos regum cruor ; unaque cuncto
479 poena manet generi : quamvis crudelibus aequae
480 paretur dominis. Sed quid non audeat annus
481 Eutropii ? Socium nobis fidumque Saporem
482 perculit et Persas in regia vulnera movit
483 rupturasque fidem, leto pars ne qua vacaret,
484 Eumenidum taedas trans flumina Tigridis egit.
485 Tum vero cecidere animi tantisque procellis
486 deficiunt. Saepi latrantibus undique bellis
487 infensos tandem superos et consulis omen
488 agnovere sui, nec jam revocabile damnum
489 eventu stolido serum didicere magistro.
490 Namque ferunt geminos uno de semine fratres
491 Iapetionidas generis primordia nostri
492 dissimili finxisse manu : quoscumque Prometheus

493 excoluit multumque intexuit aethera limo,
494 hi longe ventura notant dubiisque parati
495 casibus occurrunt fabro meliore politi.
496 Deteriore luto pravus quos edidit auctor,
497 quem merito Grai perhibent Epimethea vates,
498 et nihil aetherii sparsit per membra vigoris,
499 hi pecudum ritu non impendentia vitant
500 nec res ante vident ; accepta clade queruntur
501 et seri transacta gemunt. Jam sola renidet
502 in Stilichone salus, et cujus semper acerbum
503 ingratumque sibi factorum conscius horror
504 credidit adventum, quem si procedere tantum
505 Alpibus audissent, mortem poenasque tremebant,
506 jam cuncti venisse volunt, scelerumque priorum
507 paenitet ; hunc tantis bellorum sidus in undis
508 sperant, hunc pariter justis sontesque precantur :
509 ceu pueri, quibus alta pater trans aequora merces
510 devehit, intenti ludo studiisque soluti
511 laetius amoto passim custode vagantur ;
512 si gravis auxilio vacuas invaserit aedes
513 vicinus laribusque suis proturbet inultos,
514 tum demum patrem implorant et nomen inani
515 voce cient frustra que oculos ad litora tendunt.
516 Omnes supplicio dignos letoque fatentur,
517 qui se tradiderint famulis Stilichone relicto.
518 Mutati stupere diu sensuque reducto
519 paulatim proprii mirantur monstra furoris
520 avertuntque oculos : projectis fascibus horret
521 lictor et infames labuntur sponte secures :
522 quales Aonio Thebas de monte reversae
523 Maenades infectis Pentheo sanguine thyrsis,
524 cum patuit venatus atrox matricum rotatum
525 conspexere caput, gressus caligine figunt
526 et rabiem desisse dolent. Quin protinus ipsa
527 tendit ad Italiam supplex Aurora potentem
528 non radiis redimita comam, non flammea vultu
529 nec croceum vestita diem ; stat livida luctu,
530 qualis erat Phrygio tegeter cum Memnona busto.
531 Quam simul agnovit Stilicho nec causa latebat,
532 restitit ; illa manum victricem amplexa moratur
533 altaque vix lacrimans inter suspiria fatur :
534 "Tantane te nostri ceperunt taedia mundi ?
535 Sic me ludibrium famulis risumque relinquis
536 dux quondam rectorque meus ? Solamque tueris
537 Hesperiam ? Domiti nec te post bella tyranni
538 cernere jam licuit ? Sic te victoria nobis
539 eripuit Gallisque dedit ? Rufinus origo
540 prima mali : geminas inter discordia partes
541 hoc auctore fuit. Sed jam majora moventi
542 occurrit justa rediens exercitus ira,
543 fortis adhuc ferrique memor. Brevis inde reluxit
544 falsaque libertas ; rursum Stilichonis habenis
545 sperabam me posse regi. Pro caeca futuri
546 gaudia ! Fraternali conjungi coeperat orbis
547 imperio (quis enim tanto terrore recentis
548 exempli paribus sese committeret ausis ?),
549 Cum subito (monstrum mihi turpisque relatu
550 fabula) Rufini castratus prosilit heres,

551 et similes iterum luctus Fortuna reduxit,
552 ut solum domini sexum mutasse viderer.
553 "Hic primum thalami claustris delicta tegebat
554 clam timideque jubens ; erat invidiosa potestas,
555 sed tamen eunuchi, necdum sibi publica jura
556 sumere nec totas audebat vertere leges.
557 At postquam pulsisque bonis et faece retenta
558 pejores legit socios dignusque satelles
559 hinc Hosius stetit, inde Leo, fiducia crevit
560 regnandique palam flagravit aperta libido.
561 Patricius, consul maculat quos vendit honores ;
562 plus maculat quos ipse gerit. Jam signa tubaeque
563 mollescunt, ipsos ignavia fluxit in enses.
564 Exultant merito gentes facilisque volenti
565 praeda sumus. Jam Bistonii Haemoque nivali
566 vastior expulsis Oriens squalescit aratris.
567 Ei mihi, quas urbes et quanto tempore Martis
568 ignaras uno rapuerunt proelia cursu !
569 Nuper ab extremo veniens equitatus Araxe
570 terruit Antiochi muros, ipsumque decorae
571 paene caput Syriae flammis hostilibus arsit.
572 Utque gravis spoliis nulloque obstante profunda
573 laetus caede redivit, sequitur mucrone secundo
574 continuum vulnus ; nec jam mihi Caucasus hostes
575 nec mittit gelidus Phasis ; nascuntur in ipso
576 bella sinu. Legio pridem Romana Gruthungi,
577 jura quibus victis dedimus, quibus arva domusque
578 praebuimus, Lydos Asiaeque uberrima vastant
579 ignibus et si quid tempestas prima reliquit.
580 Nec vi nec numero freti ; sed inertia nutrit
581 proditioque ducum, quorum per crimina miles
582 captivis dat terga suis, quos teste subegit
583 Danuvio, partemque timet qui reppulit omnes.
584 "Aula choris epulisque vacat nec perdita curat,
585 dum superest aliquid. Ne quid tamen orbe reciso
586 venditor amittat, provincia quaeque superstes
587 dividitur geminumque duplex passura tribunal
588 cogitur alterius pretium sarcire peremptae.
589 Sic mihi restituunt populos ; hac arte reperta
590 rectorum numerum terris pereuntibus augent.
591 "In te jam spes una mihi. Pro fronde Minervae
592 has tibi protendo lacrimas ; succurre ruenti,
593 eripe me tandem, servilibus eripe regnis.
594 Neve adeo cunctos paucorum crimine damnes
595 nec nova tot meritis offensa prioribus obstet.
596 Jamjam flecte animum. Suprema pericula semper
597 dant veniam culpae. Quamvis iratus et exul
598 pro patriae flammis non distulit arma Camillus.
599 Nec te subtrahimus Latio ; defensor utriusque
600 sufficis. Armorum liceat splendore tuorum
601 in commune frui ; clipeus nos protegat idem
602 unaque pro gemino desudet cardine virtus."